



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro
potissimum occurentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S.
Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, &
singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione
praecedentibus duobus Tomis primum additus

Chokier, Érasme de

Coloniae Agr., 1684

Decisio LXXIX. Sententia lata sine citatione, quando sustineatur ex patris
praesentia. Tertius veniens ad causam an possit mutare statum iudicii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61921](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61921)

D E C I S I O LXXIX.

Sententia lata sine citatione, quando sustineatur ex partis praesentia. Tertius veniens ad causam an possit mutare statum iudicii.

R.P.D. Ludovisio, postea S.D.N. Gregorio XV,

Inter impressas
Ludovisii de-
cisionis 176.

Conchen. decimarum de Capello,

Luna 21 Maji 1612.

S U M M A R I U M.

- | | |
|---|---|
| <p>1 Citatio ad sententiam non est necessaria, quando sunt lata partibus praesentibus, & num. 15.</p> <p>Et sufficit praesentia Procuratoris dummodo constet illum fuisse praesentem ad illum actum & ad illum effectum num. 15.</p> <p>2 Citandus non est praesens, cum finis citationis sit comparitio.</p> <p>3 Praesentia Procuratoris, seu partis probatur ex attestacione Notarii, quod ipse statim intimavit illis sententiam.</p> <p>Et generaliter ex quibus praesentia Procuratoris, seu partis probetur, numero 16.</p> <p>4 Item probatur praesentia partis ex eo, quod in continenti appellavit.</p> | <p>5 Conclusio in causa supplet defectum citationis.</p> <p>6 Persona appellatione non venit Capitulum, & num. 17.</p> <p>Non procedit stantibus verbis universalibus, & pregnantibus, numero 8.</p> <p>Item nec quando Materia est preparata ad Capitulum num. 9.</p> <p>Venit ex identitate rationis, & propria Capitulo comprehenditur sub statuto de duabus conformibus, numero 18.</p> <p>7 Tertius veniens ad causam praesens interesse, non potest mutare naturam, & statum iudicii.</p> <p>10 Persona loquentis non venit in generali sermone, & num. 19.</p> |
|---|---|

- 11 Non procedit, ubi subiecta materia id
disuadet.
12 Item nec quando est eadem ratio in per-
sona loquentis, quæ in alio.
13 Ratificatio prius gestorum inducitur
ex mandato superveniente iudicio

pendente, & num. 20. ubi declara-
tur quando & qualiter procedat di-
cta conclusio.

- 14 Quod procedit, dummodo ad sit scien-
tia in principali prius gestorum.

Pratendebatur pro parte Decani, & Capituli Conchen. sententiam latam à
Provisore esse nullam, & attentatam, Domini reservatà cognitione attentato-
rum ad aliam positionem fuerunt pro validitate sententiæ, contra quam op-
ponebatur defectus citationis, & mandati; Sed quoad citationem fuit dictum, sen-
tentiam fuisse latam partibus præsentibus, & propterea eam non fuisse necessariam.
*Ang. in L. de unoquoque circa med. imò circa fin. Alex. Col. 1. ff. de rejud. fuit dictum
in una Salamantina dimidia portionis. 19. Martii 1586. coram Bubalo, cum enim finis
citationis sit comparatio, præsens non est citandus, ut post. Ioan. Andr. tradit Bald.
in L. consentaneum sub num. 36. C. quem & quand. Iud. Quod autem Procurator Ca-
pituli fuerit præsens in prolatione sententiæ, patet ex attestatione Notarii, quod ipse
statim intimavit illi sententiam, ut fuit resolutum in una Conchen. Linuum. 17. Iu-
ni 1595. coram bon. mem. Card. Blanchetto, & ex eo, quod in continenti appellavit, ut
in d. Salamantina dimidia portionis, & apertius probant illa verba (mandavit Provi-
sor intimari partibus existentibus ibidem presentibus) quæ verba non possunt referri
ad testes juxta intelligentiam partis ad verba, sed sunt referenda ad Procuratores par-
tium, ut constat ex lectura. Quando etiam fuisset necessaria citatio ad sententiam,
illam suppleret conclusio causæ, quæ æquipollet tali citationi juxta notorium stylum
illarum partium, ut fuit sapienter resolutum, & signanter in una Toletana annatarum
17. Novembris 1589. coram Bubalo in Vlixbonen. Prioratus 22. Octobris 1601. coram
bon. mem. Quod autem in causâ fuisset conclusum, bene ostendunt informantes pro
Episcopo. Quoad defectum mandati Ferdinandi Mareræ comparentis pro Episcopo
semper, qui multipliciter deducitur, licet sufficeret dicere, quod pro Episcopo semper
etiam comparuerit Procurator Fiscalis, & cum eo fuerunt omnia acta facta, & sen-
tentia lata, ita ut ex ejus persona omnia sint valida, attamen fuit singulis objectioni-
bus sufficienter responsum. Quatenus enim dicebatur mandatum non comprehen-
dere Capitulum, quod appellatione personæ non venit, *Achil. decis. 15. de procur.*
fuit responsum Capitulum non fuisse tractum ad iudicium, sed ultro, ac spontè ve-
nisse; causa enim fuit introducta contra personas particulares, à quibus exigebantur
decimæ, & licet postea ad causam venerit Capitulum pro suo interesse, hoc non po-
tuit mutare naturam, neque statum iudicii, cum venerit in eisdem terminis, in qui-
bus*

- bus causa repetebatur. Præterea mandatum est contra quascunque personas, quascunque generis, ita ut propter generalitatem verborum comprehendat etiam Capitulum. *Alexandr. Concil. decimo septimo numero sexto, libro primo.* Præsertim, quia agitur de decimis, & sic materia proportionata ad ipsum Capitulum. *Felin. in cap. com. te numero decimo quinto vers. quarta declarato de rescript. Rebuff. super Concord. in rubr. de Collat. §. Statuimus il. secundo in vers. personis, vers. licet, quando materia subiecta patitur, & in §. presertimque Ordinarii in ver. quacunque faciunt tradita per Sarn. de annal. quest. duodecima. Ad illud, quod non possit dici constitutus ad comparandum in Tribunali Episcopi ex reg. *L. inquisitio C. de solut.* quod in generali sermone non venit persona loquens, respondetur, Regulam non procedere, ubi subiecta materia aliud suadet. *Cyn. in d. L. inquisitio Aym. cons. 274. post numerum duodecimum cum aliis per Menoch. pres. 44. num. vigesimo septimo, libro tertio.* Et quando est eadem ratio in persona loquentis, quæ in alia. *Salyc. in d. L. inquisitio C. in §. in L. frater à fratre numero 114. ff. de cond. indebit. Gabr. de verb. signific. conclus. 9. numero septimo, Menoch. cons. 16. numero vigesimo octavo.* Non relevat etiam quod obijciatur, Ferdinandum comparuisse in iudicio, antequam esset Procurator, quia ex mandato iudicio pendente superveniente fuit indicata ratificatio prius gestorum. *L. Julianus ff. qui sariare cog. Paul. de Castr. in Lam. potest numero sexto, ubi etiam Ang. Col. pen. vers. ultimo. conclude ff. de iud. cum multis per Gabr. de iud. conclus. tercia. numero decimo sexto.* Et licet hoc procedat datâ scientiâ in principali prius gestorum, ut per *Gabr. ibi numero decimo octavo*, attamen non potest dubitari de scientiâ Episcopi gestorum nomine in suo Tribunali, prout etiam non obstat, quod d. Ferdinandus substituit alium sine aliqua reservatione, & propterea non potuisset postea comparere, quia substitutio fuit facta ad certum actum tantum, omisso, quod Capitulum tempore citavit Ferdinandum, uti Procuratorem Episcopi, sed hæc omnia sunt dicta abundantiam, postquam sententia, & omnia acta sustinentur ex persona Procuratoris Fidei.*

